B. N. C.
FIRENZE
1105
3



1105.3

1105 3

ORATIO
DE PONTIFICE MAX.
ELIGENDO

Ad Illuſtriſsimos, & Reuerendiſſimos

S. R. E. CARDINALES

POST OBITVM GREGORII XV.

Vaticanum Conclaue ingreſſuros.

Habita Romæ die XIX. Iulij in Sacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica

A

IOANNE CIAMPOLO

Secretario Apoſtolico domeſtico,
Et eiuſdem Baſil. Canonico
Anno 1623.



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi.

SVPERIORVM PERMISSV.

ORATIO
DE PONTIFICE MAX-
ELIGENDO

Ad Illuſtriſsimos, & Reuerendiſſimos

S. R. E. CARDINALES

POST OBITVM GREGORII XV.

Vaticanum Conclaue Ingreſſuros.

Habita Romae die XIX. Iulij in ſacroſancta Principis Apoſtolorum Baſilica.

A

IOANNE CIAMPOLO

Secretario Apoſtolico domeſtico,
Et eiuſdem Baſil. Canonico
Anno 1623.



1105.3

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi.

SVPERIORVM PERMISSV.

IVINITATIS oraculum, & generis humani patrocinium veſtris ſuffragijs conſtituendum nunc eſt in orbe terrarum Patres Ampliſsimi. Tanto autem in negotio cum cœli dignitas agatur, & ſalus gentium, meritò illud ſapientiſſimis Orthodoxæ Eccleſiæ Senatoribus Spiritus ſanctus mandauit, ipſum tamen eiuſmodi deliberationis exitum fallacibus hominum conſilijs omnino non credidit, ſuumq. tandem arbitrium vult in liberis eligentium voluntatibus dominari. Facilè quidem erat omnipotenti rerum Artifici, è cęlo rurſus demittere indicem illã Diuini numinis Columbam, & fauſto immortalis eloquij tonitru Beatiſsimum Patrem terris indicare, & dicere, Hic eſt. Adeo tamen noſtris laudibus miſerentis Dei fauet indulgentia, vt cœleſtis electionis gloriam, mortalium etiam iudicijs magna ex parte acceptam referri velit. Quod igitur deſipiens veterum ſuperſtitio æternæ prouidentiæ arcanum in pecudum fibris, & auium tripudio arduis præſertim in conſultationibus quæritabat, id nunc ſapientius, & fœlicius in cordibus Apoſtolici Senatus conſentientibus Catholica Eccleſia inſpectat. Vos ergo Cardinales Illuſtriſſimi *Genus electum, & Regale Sacerdotium eſtis*, ad quos tamquàm Spiritus ſancti Interpretes pertinet ſucceſſorem Petri deligere, & cœli decretum mundo promulgare.

Matt. 3.

Pet. 1. c. 2.

Qualis autem eſſe debeat is homo, quem Diuinitatis Vicaria poteſtas deceat, cuiuſq; pedibus faſces Im-

perij, & Principatuum diademata ſubijciant trium-
phatores orbis terrarum, orationis meæ munus eſſet
explicare. Verum ego citius in veſtris moribus, quàm
vos in meis verbis expreſſam optimi Pontificis imagi-
nem agnouero. Non tamen ab re erit pauca quædam
commemorare, quæ ex eligentium Antiſtitum men-
tibus extorquere omni ſemper ſtudio conabitur *di-
ſcordiarum pater*, & machinator fraudum.

Docet planè ipſemet Pontificatus author, cuius vo-
Pſal. 4. cem, *corda veſtra non obdurantes, audire hodie debeatis*.
Vbi enim Petrus in conuentu diſcipulorum naturam
*Matt.*16. Dei viui in Chriſto Domino primus agnouit, beatus
illicò æternæ ſapientiæ teſtimonio prædicatur ob eam
vnam cauſam, quia *caro, & ſanguis non reuelauit ei, ſed*
S.Bernar. de conſid.lib.2. & 4. *Pater æternus, qui in cælis eſt*. O vos in hoc miſeriarum
carcere beatiſſimos, ſi declaraturi Principē Epiſcopo-
rum, & Moderatorem legum mentis aures conſtanter
occluſeritis carni, & ſanguini, cuius conſilia fraudes,
cuius verba blaſphemiæ, cuius finis exitioſa, & legum
contemptrix vtilitas. Heu quàm ſemper metuendum
eſt, ne improba hæc Syren animos pelliciat, aut *quaſi*
*Pet.*1. *c.*2. *velamen malitiæ libertatem* præſeferens, aut grati animi
*Pſal.*54. virtutem mancipatis obſequijs ſimulans. *Molliti ſunt
ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula*. Arma ſci-
*Pſal.*119. licet Diaboli *cum carbonibus deſolatorijs*, quibus cælum
*Pſal.*7. prodit, Eccleſiam oppugnat, & ſacerdotij *gloriam in
puluerem deducere ſtudet*. Væ illis ſi qui vmquam repe-
rirentur, qui tanta in conſultatione ſtudia, & inimici-
tias exercerent, eiusq. negotij grauitatem, quod ad ſui
ſpectaculum cæleſtium, mortaliumq. concilia euo-

cat, priuatarum rationum momentis penderent publicæ fœlicitatis obliti. Quod enim crimen, quæ proditio vlciſcentis cœli fulmina torpere non patietur, ſi habeant talia facinora impunitatem? Tantóne honore Diuina clementia dignabitur *hominem natum è muliere, & miſerijs coopertum*, vt eius ſententia Dei Vicarium, & Ianitorem cœli dicere poſſit in terris, ille vero animum de tanta re deliberaturum è ſyderibus deuocabit, atque è totius orbis vaſtitate abductum in priuatarum ædium anguſtias detrudet, conſilium in earum latebris quæſiturus, quod mœrentis Eccleſiæ lachrymas, & cuſtodientium Angelorum vota conſoletur? *Miſcebitur in eo ſpiritus vertiginis*, ſi quis vnquàm id impiè conabitur, *aut dimittetur ſecundum deſideria cordis ſui*. Quo neſcio an grauius ſupplicium cœleſtis ira peccantibus irroget. *Funibus enim delictorum ſuorum peccator conſtringitur*, iiſdemq. machinis, quibus ſibi parabat fœlicitatem, ruinam ſtruit, & dedecus congerit. Sed quò me *zelus domus Domini* rapit *ſpirantem minarum*, & ſacrilegas profanæ calliditatis artes éxterrentem? Neque enim eiuſmodi querelis locum relinquit ampliſſimi Senatus pietas, cuius Patres quamuis patria diſcrepantes, & diſpares lingua, cum eumdem ſpectent Diuinæ gloriæ, & humanæ incolumitatis ſcopum, facilè etiam in *cor vnum, animamq. vnam* coaleſcent. In huius ergo erroris explicata turpitudine ſanctimoniæ veſtræ, & fidei decorem non ſine delectatione poteſtis agnoſcere.

Iob 14. *Iſa.* 19. *Pſal.* 80. *Prou.* 5. *Pſal.* 68. *Act. Apoſt.* 9. *Act. Apoſt.* 4.

Iam verò ſi priuatæ commoditatis obliuiſci ius eſt Pontificios Electores, quid de eo tandem dicendum,

qui in Sede cœlo proxima collocabitur animorum Monarcha, & terrarum cuſtos religioſis Regum obſequijs adorandus? Quamuis enim tanta authoritate polleat inter homines, vt Imperia transferre, Regna conſtituere, æternitatis fores claudere, atque patefacere poſſit, Patris tamen, & ſerui ſibi cognomen aſciſcit, non Domini. Qua quidem ex re facilè conijcere poſſumus, Quid ille *ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus*, negotij contrahat cum carne, & ſanguine. Egreditur ex arctis paterni tecti parietibus commune nationum omnium patrocinium ſuſcipiẽs, & in conſanguineorum locum, quos relinquit, fideles vniuerſos, quibus Chriſti hæreditas Diuinæ munificentiæ teſtamento legatur, filios adoptat: Quinimmo vt *obliuiſcatur domum patris ſui*, & *veterem hominem exuat*, ac ſemetipſum quodammodo deſerat, ac dedicat, nouum nomen nanciſcitur cœleſtis Magiſtri ſecutus exemplum. Ille enim Simonem Bariona, vbi ad Pontificatum extulit, glorioſo etiam Petri cognomento inſigniuit.

Paul. ad Heb. c. 7.

Pſal. 44.

Ad Epheſ. 4.

Matt. 16.

Neque ſe quiſquàm, qui ad Apoſtolatus culmen euehitur, ad inertiæ delicias vocari arbitretur, & oblectamenta ſuperbiæ. Par quidem eſt ad perſonæ ſupra humanam conditionem elatæ ſpeciem, ac dignitatem ſuſtinendam, Pontificem Maximum auro tegi, fulgere gemmis, coronis redimiri, & ſuccollantium ſeruorum humeris ſublatum quaſi ſupra hominum capita ambulare. Quamuis enim hæc diuitiarum inſignia nil aliud re ipſa ſint, quàm ſpecioſum quoddam lutum, nihil tamen hìc habemus illuſtrius,

ſtrius, quod aureos ſyderum fulgores, æternaſque cœleſtis Regni pompas poſſit decenter imitari.

At enim inſpicere ille debet non oculis modo, ſed animo, quod ipſi continenter præfertur ſimulacrum Pontificis ſempiterni. Videbit autem eius, cuius vicem gerit, ornatum cuiuſmodi ſit. Illius enim ſolium crux, ſceptrum claui, purpura ſanguis, corona ſpinæ, ſupplicia miſerorum non infulæ dominantium. Deſertor eſt, & Chriſtianam Rempublicam prodit, qui Vicariam Deo operam præſtare ſe profitetur, & *hæreditatem ſuam in Chriſti cruce, & laboribus plurimis agnoſcere non vult*. Non ideò ſolemnia Pontificatus ornamenta ſunt abijcienda, vt quis *conformis fiat imagini filij Dei*. S. Bern. de conſ. lib. 2.

Sentiet qui gentis humanæ vulneribus ſollicitè mederi volet, qui ſpinarum aculei ſub triplici illa coronarum ſerie deliteſcant Pontificiam mentem aſſiduè lacerantes. Pretioſum illud ſyrma, quò longius, eò grauius, & plus moleſtiarum ſecum trahens, non rarò ſanguineos ferè ſudores è viſceribus paſtoralis charitatis eliciet orbis ruinas miſerantis. Nec militibus ſolum lancea, aut carnificibus claui, ſed *dolori ſuus gladius*, & curis ſua tela ſunt ad Eccleſiaſtici Monarchæ animum vulnerandum, crucique corporeos oculos latenti ſuffigendum. *Luca 20.*

Si quis ergo hac mente eſt, vt eum inter procumbentium Principum, & adorantium populorum plauſus; ceca hæc, & aſſidua ſupplicia delectent, hic dignum Pontifice Maximo animum gerit, Qui *calicem hunc bibere recuſat, & abſynthium non ſitit cum felle miſtum*? *Matt. 20.* *Ibid. c. 27.*

miſtum? enimuerò ille impudenter ad ſupremi ſacerdotij menſam enititur.

Cogitare ego ſoleo aliquando, quarum moleſtiarum ferax eiuſmodi Principatus ſit, cui vel ipſa conuiuiorum iucunditas, ſollicitudinum campus eſt, & terrorum ſeges. Id autem in hac re penitus perſpici-
Exod.16. tur. Cum Deus Iſraeli inhoſpitas deſertarum terrarum ſolitudines peragranti penum præbuit, epulaſque parare voluit, quæ Sybaritarum fercula, quæ Attica bellaria cum cęleſtibus illis cibis conferri tunc
Pſal. 77. potuerunt? Pátefactis æthereæ regionis horreis *panem Angelorum*, & *manna omne delectamentum ſuauitatis habens* vulgus hominum, & militum grex manducauit.
Act.Apoſt. c.10. At enim vbi eſurienti quondam Apoſtolorum Principi menſam è cælo Deus demiſit, non vos præterit, quàm diuerſis eam obſonijs inſtruxerit.

Linteum magnum quatuor extremæ oræ angulis ſuſpenſum ex apertis cęli foribus deſcendit, cuius dapes viperarum virus, draconum ſanies, leonum feritas, rabies vulturum, *omnia denique quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cęli*. Quæ autem alios in repentinam fugam egiſſet tantæ formidinis ſcena, iuſſus eſt ad eam Petrus accedere, & *manducare*. Hæ ſcilicet in cordis triclinio Maximorum Pontificum cęnæ, & delitiæ, quorum paterna præcordia ij gladij ſemper vulnerant, quos contra Catholicam Religionem armata hæreſis diſtringit, ad quorum curam prouinciarum omnium negotia pertinent, quæ tandem nil
Pſal. 59. aliud eſſe comperiuntur, quàm *vinum compunctionis*,
Pſal. 79. & *panis lacrymarum*.

Hac

Hac autem tempeſtate, qua tot regiones ſæuientium bellorum aut lacerauit crudelitas, aut terror oppreſſit, heu *quàm atrox ſylua frementium beſtiarum, qui turbulentiſſima profunditatis Oceanus* futuro Pontifici oſtentatur? Quid monſtri alat Germania, quid Tranſyluania minetur, quid Hungaria, atque Dania moliantur, quæ nubes Gallias obumbrent, & Italiam exterreant, vix poſſumus ſine lachrymis commemorare. Tot tamen calamitates inuictum Pontificis animum infringere non debent, ſed erigere. Exploratum enim eſt quid in tanto armorum ſtrepitu authoritas nuper profecerit Sanctiſsimi Pontificis Gregorij XV. cuius memoriam in Septemtrionis caſtris feliciter triumphantem, exterarum nationum voces, & potentiſsimorum Principum teſtimonia laudibus ſempiternis in cęlum ferunt.

S. Leo Ser. 1. in Nat. Apoſt. Petri, & Pauli.

Sed quid ego vos diutius moror, Patres ampliſſimi, Spiritus ſancti diſciplina imbutos, & ad optimi Pontificis electionem properantes? Vos ipſos conſulite; veſtra pietas, & rei magnitudo docebit, quid in præſenti opportunitate cęlo ſpectanti, terriſque è veſtro nutu pendentibus debeatis. Templum hoc auguſtiſsimum, Religionis ſanctuarium, & Principis Apoſtolorum domicilium, me tacente ſatis loquitur, quid à vobis hic nationum conuentus exigat tantam authoritatem vni homini delaturis, vt *gens, & Regnum quod non ſeruierit ei, periturum dicatur.* Iſa. 60.

Te autem ego pro negotij dignitate neſciens loqui ſupplex rogo Piſcator hominum, & cęleſtis Regni clauiger Sanctiſsime Pontifex Petre, cuius corpus in

ſacro

S. Leo Ser. 1. in nat. Apoſt. *ſacro hoc beatæ dormitionis tuæ thoro coram veneramur*, ne
Pſal. 44. dedigneris linguam meam in præſentia *tamquàm calamum ſcribæ* tua verba, tuasq. ſententias referentẽ. Vos autem, dum finem dicendi facio, ipſum de Eccleſiaſtici nominis maieſtate ſollicitum ita loqui exiſtimate, Patres ampliſsimi.

Iſa. 9. *Princeps pacis*, & *exercituum Dominus*, *Pater miſericor-*
Zach. 1. *diarum*, & *vltionum Deus* diuerſa admodum Pontifi-
2. Cor. c. 1. Pſal. 93. cis æterni cognomenta ſunt. *Deponentes igitur omnem*
Pet. 1. c. 2. *malitiam*, *& omnem dolum*, *& ſimulationes*, *& inuidias*,
Cap. 5. eum conſtituite *Principem Paſtorum*, qui modo mitis,
1. Cor. c. 9. modo ferox, *factus omnibus omnia*, non ſolùm ouibus
Eccl. 15. ſibi commendatis pabulum ſufficiat *intellectus*, *& vi-*
Pſal. 57. *tæ*, ſed *molas etiam leonum confringere*, & *dentes peccato-*
Hier. 1. *rum conterere* non timeat. *Virgam vigilantem* omnino videre cupiunt populi in dextera illius, qui pericula
Ad Epheſ. c. 6. totius Orbis præcauere, iiſque caput *galea ſalutis munitum* obiectare debet. Vbi Eccleſiæ dignitas, & animarum incolumitas reſidet, illuc vel ſuper indignãtis
Pſal. 90. pelagi procellas, vel *ſuper aſpides*, *& baſiliſcos* contemptis periculorum minis properanter ambulandum
Ioan. c. 21. eſt. Ego quidem ſimul ac Ieſum in litore ſtantem nauigans proſpexi, prædæ oblitus, impatiens moræ, & vi charitatis abreptus è cymba in mare ſeminudus deſilui, ducentiſque fluctuum cubitis peragratis ad verum nauigantium portum properaui.

Magna, inuſitata, & vix humanis viribus patranda in eo requiruntur, qui Regum arbiter, & ſacrorum Rex eligatur. Omnes tamen difficultates facilè expugnabit, qui Deum ardenter diligit. Mihi quidem

dem cęli claues, & ligandi, ſoluendique poteſtatem delegaturus Omnipotens Dominus, *trinam* prius *Diuini amoris profeſsionem* exegit. Ergo qui Deum plus alijs omnibus amare dignoſcetur, ille ad ſacrum rerum humanarum faſtigium prouehendus. Charitas enim certiſsima Diuinæ voluntatis teſſera, charitas pretium eſt, quo ſacroſanctum Regnorum Imperium, & Eccleſiaſtica ferrarum Monarchia comparatur.

Matth. 16.

S. Leo Ser. 2. in Nat. Petri & Pauli.



Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

A. Epiſcopus Hierac.

Imprimatur, Fr. Vincentius Martinellus Magiſter & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Prædic. Sacr. Apoſtol. Pal. Mag.